QVÆSTIO CARDINALITIA
MATVTINIS DISPVTATIONIBVS DISCVTIENDA
IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE XIII. MENSIS MARTII, MAGISTRO ANDRÆA DV CHEMIN DOCTORE MEDICO MODERATORE.

668

An obeſorum corpora catharticis tenuanda?



Ροφυλακτικῆς καὶ ἀναληπτικῆς diuerſa ſunt officia, finis idem, ſanitas, cuius magna latitudo. Eſt tamen optima κατὰ φύσιν conſtitutio vna, vitioſæ plurimæ, nec ilicò omnes præter naturam εὐσαρκῶν inculpatus ab optimo temperamento habitus. Hoc præditis nec pharmaca bibenda, nec tenuantem diætam præſcripſeris. Nec gracilis nec obeſi (quamuis vtrumque ſanum conſpicias) temperamentum habitumve laudaueris, ſeu in ipſo vtero, materiæ vitio à vi conformatrice (re longè alia à calido, frigido, humido, ſicco, & à principio diuiniore vel apud Galenum) ſeu diæta, ſeu denique annorum ſerie obeſitas gracilitaſve contigerit. Tenue opimo fœlicius, quanquam externis injurijs apertum, gracilibúſque facilius oſſa excidant.



Besis ab vtero anguſtæ venæ, paucus ſanguis, conſopitus calor, paruum corpus, ſed craſſum & imperſpirabile, ἄναρθρον, morbi plurimi quibus difficillimè defunguntur, vita breuior, mors inopinatior, ſomnolentos hos videas ἀπαλαιπώρους, an & prauo omnes animo? ad artes capeſſendas tardos. Vnde multi graciles nati in obeſos euadunt? ſolum in quo quis enutritur pinguius & mollius, aquæ ſublimes ad id non parum conferunt. Vita delicatior laboris & curarum expers, humidior pleniorque victus, vini etiam meracioris (quod valde nutrit, maximè humectat, morbóſque frigidos quamplurimos parit) vſus & abuſus, frictiones, picationes, balnea ad illa accedentia, atque etiam per ſe homines in ſues mutant, adeò craſſos pinguéſque, vt horum non pauci nec progredi ſine moleſtia, nec ſedem propter ventris molem contingere, ſed nec reſpirare poſſint liberè.



Olem huiuſmodi & quæcumque εὐσαρκίαν longè ſuperauit, ἐκλύειν καὶ χαλαίνειν oportet. Quod nec arti ἀδύνατον (vt quintum digitum deficientem gignere) nec tantæ molis ei qui artis præceptis obtemperauerit. Iubet hæc in ſumma. In illis ἀπορρόιας quammaximè promoueri, alimenti diſtributionem & aſſimilationem impediri, ſiccúmque firmari temperamentum. Hæc præſtabunt frictiones molles, ſed quamplurimæ, ſæpius ex aſperis linteis duriores; linimenta ex oleis quibus gentiana & ariſtolochia rotunda incoxerint, vnguentáque diaphoretica: exercitationes celeres, imò gracilitatis & exiguitatis membrorum otium cauſa eſt: inter quas primum curſui dato locum. Nec time, ne his febrem accendas. Hac obeſum vt apoplecticum iuueris: balnea etiam potabilia: meliora quibus exſiccantia ſal, ſulphur, nitrum, aut bitumen admiſta ſint: optima ſponte naſcentia ſulphurea, ſalſa, nitroſa, bituminoſa, hæc ſiquidem corpus vniuerſum euacuant, hydropicis longè vtiliora extractis Pſeudomedicorum deurentibus nihilque promouentibus.



Envans diæta (quæ epilepſiæ, arthritidi, dyſpnϛæque debetur) etſi non tenuis: edulia enim magna quidem mole, pauci verò alimenti dare licet & decet, qualia ſunt hæc oleracea, petroſelinum, naſturtium, cæpa, ſatureiaque viridis, cappares: ex cerealibus hordeum: ex piſcibus petroſi, ex quibus, qui mollem ſimulque friabilem habent carnem reliquis hac in re præſtant, atque in quonis animali has duas reperies notas, id paucum præbere corpori alimentum afferas: ſalſæ carnes, ſalſique piſces non ſalſis præferendi, non ſic ſenibus vt obeſis. Paucus potus ex vino albo tenui, acetoque mulſo, quod his quoque ad omnia condimentum optimum: medicamenta vt theriaca, ſales quoque theriacales: quibus alijſque ſalium generibus cum Dioſcoride & Galeno vtemur, vt humiditas ſuperflua ebibatur, totuſque exſiccetur habitus, non vt tu Chymiſta fumiuendule, qui vt neſcio quos ſales, quos incineratum caput tuum mortuum mammarum tumorem χαρκινώδη excitare ſomniauit, fundas ac liques. Quid enim ſalis in corporibus obeſis, hydrotica: videas tamen obeſos nonnullos vſu radicis chinarum, vt & crebra phlebotomia obeſiores factos.



Xercitatio à cibo quia alimentum præripit, eiuſque diſtributionem impedit, hic à nobis laudaretur: verùm quia per eam adaucto calore venæ arteriæque ad extimam corporis ſuperficiem alimentum arripiunt, crudiorúmque ita humorum in corpore copiam penitus colligunt, ingentium morborum primordia; ideò parum tuta videtur hæc tenuandi ratio: tutiſſima verò certiſſimáque quæ catharticorum ope progreditur, hæc enim aſſidua ventris deiectione, nõ ſolùm alimenti diſtributionem præpediunt, nutritionis organa quæcunque continent, ea ſtatim peſſum impellere, cogendo, ſed etiam obeſorum corpora, ſuccis ſuperfluis quibus ſcatent, tandem liberant: aliquandò emolliendo, ſæpe irritando, ſæpius attractione, non humorum proprio ad medicamentum motu. Expellere naturæ eſt. Humorem attrahendi facultas nec à primis qualitatibus pendet, nec à qualitatum ſimilitudine. Cnicus calidus pituitam frigidam trahit. Cnicum trahere pituitam quod albedine conueniant, dicere quid abſurdius? Idem præſtat atra caſſia. A qualitatibus quæ materiam ſequuntur aſſerere à ratione alienum: à materia abſurdiſſimum. Forma corporibus naturalibus data per quam agunt medijs facultatibus ab ea exurgentibus. Hîc tamen quomodo agant, ex qua regione, & an cum delectu, parum eſto ſollicitus, vtere familiaribus vt ſenna, vtere εὐπορίστοις vt mercurialis folijs. His inſtituto noſtro potes ſatisfacere.

Ergo obeſorum corpora catharticis tenuanda.

Proponebat Lutetiæ PHILIBERTVS MORISSET Bellouacus. Anno R.S.H.M.D.C.XXV.